ſtias, aves, inſecta &c. ſe transmutandi, homines per aërem transferendi, nec non ſagas in montem Bructerum vehendi, impotentiam indeque ortam idololatriam faſcinatam, erudito Orbi commonſtravi.

Obſtrepuere quidem, quod in ſimilibus inſolitis caſibus fieri ſolet, multi ſuperſtitioſis & idololatricis præjudiciis adhuc immerſi, Viri alias ſatis docti: quos inter Membrum quoddam Illuſtre ex Miniſtrorum Verbi Divini Ordine in Unſchuldigen Nachrichten de Neo-Antiquis Anni 1706. Dni Adami Lodweri, J. U. D. Celeberrimi, Affinis noſtri Æſtumatiſſimi, *Meditationes Probabiles de Puella Zittavienſi Incantata* Cenſuræ ſatis rigidæ ſubjecit, mequè ipſum dicti jam Collegii Socium, quo jure quovè ſcommate? neſcio! non ſolùm, ſed & dictæ Diſputationis, aut meo ſuaſu aut operâ elaboratæ, Autorem proclamavit. Teſtis autem, præter Deum, omni exceptione major erit Dn. Johann-Gottliebius Weyſius, Paſtor animarum Werbelinenſis & Brodavienſis, utpote qui primus, & quidem menſtruo fermè poſt publicam ventilationem ſpatio, de hac me certiorem fecit. Et quamvis tantæ eruditionis Virorum familiaritatem â primis ſtudiorum meorum annis amaverim & exoptaverim, nunquam tamen mihi in mentem venit Collegii dicti (utut ipſorum Dnor. Collegarum) Societatem ambire; tempus enim ſolis affectatis & mutilatis Doctiſſimorum per Europam Virorum, horumquè Scriptorum, recenſionibus, cenſuris, &c. perdere, religioni mihi duco, nec tanti emere operæ pretium exiſtimo; labore interim nunquam ſatis laudando, & accuratiſſima Illuſtrium Collectorum Eruditorum Lipſienſium recenſione, perquam contentus vivo.

Equidem non pauci arbitrantur, me falcem in meſſem alienam immiſiſſe, quòd negotium hoc ad Facultatem Theologicam pertineat. Verùm quàm lubrico miſeræ hæ Objectiones fundamento nitantur, res ipſa, & imprimis Illuſtris Medicæ Facul-